

ELEMENTA
DOCTRINÆ
LOGICÆ

IN USUM

TERTIÆ CLASSIS

GYMNASII BRIGENSIS.

BRIGÆ,
Typis Johannis Christophori Jacobio
ANNO M. DC. LXXIV.




Praefamen.



Um Tertius apud Nos Ordo eos jam in latinitate faciat progressus, ut Superiores in Illo principis Rhetoricis, quorum tamen comprehensio à Logicorum Terminorum notitia dependet, maturè imbuendi sint; Rhetoricam autem jam habeant perbreve: E re visum, in Ipsorum etiam gratiam prima Logica Elementa paucis his pagellis comprehendere, Extractum videlicet brevissimum ipsius Idea Logica, quod hujus Classis quoque usui serviret. Idque eo majore cum successu fore confidimus, quod experientia comperimus, Logicam in Secundo etiam Ordine eo jam cum fructu doceri, ut in Oratoria, Ejusque Praeexercitamentis sive Progymnasmatibus usum jam suum habere

inci.

 incipiat: Unde prima etiam Logica
Rudimenta in hac Classe tradita suo
fructu non caritura speramus; Praeci-
pue cum eâ facilitate apud nos tra-
dantur, ut etiam à pueris primum sal-
tem rationis usum habentibus percipere
possint. Plurimum autem interest, ut
Juventus, Nobilis praesertim, quam
ocysimè per Instrumentalia illa ducatur;
ut, quae tædii plurimum habent,
hincq; si difficultas accedat, ut hodie
est, deserantur plerumq; vel tandem
ita attingantur, ut fructum inde vel
exiguum reportent vel nullum. Hinc
videas persæpe eos, qui annis etiam
aliquot Logicam audiverant, si mul-
tum, Syllogismum ex ea formare didic-
cerant; Usum ejus in Oratoria nove-
runt nullum; qui tamen omni Nobili
hinc precipuus esse debet, propter
quem addiscatur. Huic ergo errori,
ut medereremur, hanc in Logica tra-
ctanda Methodum in Gymnasio nostro
servandam constituimus.



INDEX.

Caput I.

De Decem Prædicamentis.

Caput II.

De Quinque Prædicabilibus.

Caput III.

De Terminis Simplicibus Relatis.

Caput IV.

De Terminis Simplicibus Oppositis.

Caput V.

De Propositione.

Caput VI.

De Syllogismi Constitutione & Forma.

Caput VII.

De Syllogismi Materia.

Caput VIII.

De Syllogismo Falso, sive Fallaciis: & Methodo.



Elementorum Logicorum

CAPUT I.

De Decem Prædicamentis.

Logica est Ars recte cogno-
scendi & ordinandi res
omnes.

Objectum ergo Logicæ sunt res
omnes.

Rerum autem omnium Catalo-
gus in certas *Classes* distribuitur,
quæ dicuntur *Prædicamenta*: Et hæc
iterum in suos *Gradus*, qui dicun-
tur *Prædicabilia*.

Prædicamenta hæc, five *Classes*
rerum sunt numero X. Unum Sub-
stantiæ, & Novem Accidentis:

A 3

Quan-

Quantitas, Qualitas, Actio, Passio, Relatio; Ubi, Quando, Situs, & Habitus.

Substantia est Ens, *sive rei*, per se subsistens & sustinens accidentia: Ut Homo sustinens quantitatem, ratione cuius dicitur quantus, magnus vel parvus; Item qualitatem, ratione cuius dicitur qualis, albus vel niger.

Quantitas est, per quam Substantia est magna vel multa: Magna, videlicet longa, lata, & profunda; Longa, ut *milliare*; Lata, ut *Campus*, Profunda, ut *Congius*. Multa ratione numeri videlicet, quo res numeratur, pauci in *Senatu*, multi in *Populo*.

Qualitas est per quam Substantia est efficax in agendo: Ut *Calor*, per quem ignis calefacit, *Frigus*, per quod glacies refrigerat:

Estque quadruplex: I. Habitus, qui est facilitas in agendo, exercitio comparata: *Vt Musica peritia in Cantore, Ars saltatoria in histrio-*

ne. II. Potentia naturalis, quæ est aptitudo ad agendum in natura insita: *Ut Facultas loquendi in homine, volandi in ave.* III. Qualitas efficiens, sensus videlicet: *Ut, Color visum, sonus auditum.* IV. Figura sive forma corporis externa; *Ut, Figura Cæli, hominis; item, mensæ, statuæ.*

Actio est motus & efficacia rei agentis ad patiens; *Ut Calefactio ignis: Passio est actionis receptio; Ut Vstio in manu.*

Relatio est, per quam unum ad aliud essentialiter refertur; *Ut Pater ad filium, Dominus ad servum.* Ex quibus unum dicitur Relatum ut *Pater, Dominus*; Alterum Correlatum ut *Filius, Servus.* Et qui inter hæc duo est mutuus respectus, dicitur Relatio; ut *Paternitas, Filiatio.*

De his Canon est: Posito uno

4 DE PRÆDICABILIBUS.

relatorum ponitur alterum. Sic,
Est Pater E. habet Filium; Est Domi-
nus E. habet Servum.

Quando denotat rem cum cer-
ta temporis circumstantia: Ut, Ho-
minem *puerum* esse vel *senem*: Tempus
vernū esse vel *autumnale*.

Ubi denotat rem cum circum-
stantia loci: Ut Hominem *Germanum*
vel *Gallum*; Urbem, *Brigam* vel *Vra-
tislaviam*.

Situs denotat rem cum certo
partium positu; Ut Homo *stans*, *se-
dens*, *erectus*, *pronus*.

Habitus denotat rem cum cer-
to corporis habitu externo; Ut *Pal-
liatus*, *ocreatus*.

CAPUT II.

De Quinq; Prædicabilibus.

PRædicabilia sunt naturæ pluri-
bus communes, de quibus
ideo prædicantur *in quid*, vel
in quale. Suntque numero quin-

que : Genus , Species, Differentia,
Proprium , & Accidens.

Genus est natura communis pluribus speciebus , ut *Animal* homini & bruto. Natura enim animalis & homini & bruto competit , sive communis est.

Species est natura communis pluribus Individuis ; ut *Homo* sive natura humana , Petro , Paulo , Johanni. Omnes enim sunt homines.

Individuum autem est res sive natura singularis , & numero una ; ut *Petrus*, *Paulus*, *Johannes*, *hic homo* , qui scilicet potest digito monstrari & dici *hic est* ; *hic Equus*.

Differentia est , quæ genus ad speciem restringit & ab oppositis distingvit ; ut *Rationale* , per hoc enim *Animal* ad certam speciem , uti hominem restringitur & ab oppositis , brutis videlicet animalibus distingvitur.

Proprium est , quod abesse à subjecto nequit sine ejus interitu ;

ut *Potentia loquendi*, ridendi, in homine,
latrandi in cane. Omnis homo enim
est loquens sive loquendi facultate præ-
ditus, quæ à natura hominis separari
nequit. Omnis canis est latrans.

Accidens est, quod potest adesse
se vel abesse sine subjecti interitu.
Ut *Albedo* in pariete, *doctrina* in homine.
Pariet enim potest esse albus vel non.
Homo doctus vel indoctus.

Genus & Species prædicantur
de pluribus in quid. Sic Animal de
Homine. Dico enim, Homo est ani-
mal. Item, Petrus est homo.

Differentia Proprium & Acci-
dens prædicantur de pluribus in
quale: Dico enim Homo est rationa-
lis; Item Homo est risibilis. Item Ho-
mo est doctus.

Nota. Proprium prædicatur de plu-
ribus necessariò; ut *Omnis homo est risibilis*,
omnis canis est latrans. Accidens contin-
genter: Ut *Quidam homo est doctus*; Con-
tingens enim est hominem esse do-
ctum: Sunt namq; etiam multi indocti.

CAPUT III.

*De Terminis Simplicibus
Relatis.*

INstrumenta quibus Logica in
cognoscendo & ordinando uti-
tur, sunt numero IV. Terminus
Simplex, Propositio, Syllogismus
& Methodus.

Terminus Simplex est, qui rem
unam & simplicem menti nostræ
repræsentat: Sic cum DEUM confi-
dero, ut Causam, Mundum ut ejus ef-
fectum: Causa, Effectus, sunt Termi-
ni simplices, qui mihi rem aliquam
simplicem, videlicet DEUM, Mun-
dum repræsentant, sive significant.

Horum autem Terminorum
sunt XVIII. Paria; Ex quibus XII.
priora sunt Termini Relati: Reli-
qua, Oppositi.

Termini Relati sunt. Causa & Causa-
tum; Subjectum & Adjunctum; Ante-
cedens & Consequens: Connexa & Cir.

cumstantiæ; Signum & Signatum; Genus & Species; Totum & Pars; Notatio & Notatum: Conjugata; Definitio & Definitum; Divisio & Divisum: Paria & Similia.

Termini Oppositi sunt. Imparia; Dissimilia; Diversa; Opposita in specie, siue Repugnantia; Eaque Quintuplicia, Disparata, Relativa, Contraria, Privativa & Contradictoria. Sicque in universum Octo. His annumeratur Testimonium, tanquam Terminus inartificialis.

Causa est, cujus vi res est: Estque quadruplex: Efficiens à qua: Materia ex qua: Forma per quam: Finis, propter quem res est vel fit. Res autem illa dicitur, *Causatum*.

Sic Efficiens Causa Poculi aurei est *Aurifaber*, qui fabricavit poculum: Materia, *aurum*, ex quo factum est: Forma, ipsa *Figura poculi*, per quam est poculum, non aliud quid: Finis, *bibendi ex eo commoditas*. Poculum vero est *Causatum*: quod respectu Aurifabri dici-

SIMPLICIBUS RELATIS. 9

tur *Effectum*; ratione auri, *materiatum*; ratione figuræ *formatum*; ratione commoditatis bibendi ex eo *finitum* sive *destinatum* ad finem illum, bibendi commoditatem, tanquam *Medium*.

Subjectum est, quod recipit adjunctum: Adjunctum, quod recipitur; sive, quod subjecto adjungitur. Sic *Paries* est subjectum *albedinis*: *Albedo* est adjunctum parietis. *Doctrina hominis*.

Est etiam *Subjectum* aliud *Occupans* sive *Objectum*; Cui respondet *Adjunctum Occupatum*. Ita *Libri* sunt *Subjectum* occupans sive *objectum* studiosi; *Tabula* *objectum* est pictoris; *Studiosus* vero *Pictor* sunt *Adjunctum* occupatum.

Adjunctum etiam aliud est *Proprium*, quod uni soli & semper convenit; Ut *Latrare* canis: Aliud *Commune*, quod pluribus convenire potest; ut *Albedo*, quæ parieti, chartæ, & cygno pariter inest.

Antecedens est, quod est prius tempore: Sic, *Dies Solis* antecedit *diem Luna*. *Consequens* est, quod

tempore posterius est: *Sic, dies sequitur auroram, sanitas sequitur morbum.* Connexum est, quod simul est cum altero: *Sic Morbus & debilitas sunt simul in ægroto debili.* Circumstans est Locus vel tempus, in quo res est vel fit: *Sic Golgata est circumstans locus sive circumstantia loci crucifixionis Christi; Circumstantia temporis, Hora pomeridiana tertia diei Veneris.*

Signum est, quod in sensus incurrens, tanquam notius, rem aliam tanquam minus notam, indicat. *Sive in oculos, sive in aures vel alios Sensus incurrat.* *Sic Classicum est signum pugnae, Explosio tormentorum est signum adventantis magni hospitis, Res illa dicitur Signatum.*

Genus est, cui species subjacet, tanquam angustius latiori: Species, quæ generi subjicitur: Individuum vero quod subjicitur Speciei.

Ita *Animal* est genus *Hominis* & *bruti*, quia homo & brutum sub animalia continetur, quorum utrumque est angustius, sive natura angustior, quam animal; animal vero est latius sive natura latior, utpote homini & bruto communis; Et ratione hujus Latitudinis, genus, species & individuum hic considerantur. Sic *Arbor* est genus, *Pyrus* est species; hæc *Pyrus*, vel *Pyrus* in nostro horto est individuum.

Totum est quod ex partibus constat: Pars quæ totum constituit. Sic *Homo* constat ex anima & corpore, tanquam partibus, iisque *Essentialibus*, quæ essentiam hominis constituunt. *Corpus* constat ex *Capite* *trunco* & *artibus*, tanquam partibus *Integralibus*, sive integrantibus corpoream molem sive compagem. Respectu quarum prius dicitur *Totum Essentiale*, posterius *Totum Integrale*. Sic *Domus* est totum integrale, cujus partes sunt, *Fundamentum*, *parietes* & *tectum*.

Notatio est vocis è sua origine

decla-

declaratio : Vox illa dicitur *Notatum*, Estque idem quod Etymologia. Sic Homo dicitur ab humo, quia ex humo sive terra creatus est; focus à fovendo, quia nos fovet calore.

Conjugata sunt voces à se invicem derivatæ & significatione simul cohærentes. Ut, *Iustitia*, *justus*; *Sapientia*, *sapiens*, *sapere*, *sapienter*; A *Sapientia* enim aliquis *sapiens* dicitur, & *sapere*, item *sapienter* agere. Significatione autem cohærent, *Abstractum* ut, *sapientia*; *Concretum*, ut *sapiens* & *Casus*. *Abstractum* est forma, *Concretum*, formatum sive forma cum subjecto intellecta, *Casus* hîc est verbum vel adverbium.

Definitio est essentia rei explicatio, sive quid res sit. Res illa dicitur *Definitum*. Sic Homo est animal rationale; Est definitio, constans genere, quod est animal, & differentia, quæ est rationale. Si res explicatur per effecta, vel adjuncta communia, dicitur

dicitur *Descriptio*; ut, Lepus est animal quadrupes bene auritum & cursus velocis.

Divisio est, quâ res aliqua tanquam totum in suas partes dividitur. Res illa dicitur *Divisum*. Ut cum Homo dividitur in animam & corpus; Corpus vero in caput, truncum & artus sive membra.

Huc pertinet *Divisio totius improprie dicti*: Ut cum, *Causa* dividitur *per sua effecta*. E. gr. Opificum alii sunt Sutores, alii Sartores, alii Fabri. Item *Subjectum in sua adjuncta*. E. gr. Hominum alii sunt docti alii indocti, ægri vel sani, divites vel pauperes.

Paria sunt, quæ inter se conveniunt quantitate & æquali gradu: Ita ut æque magna, æque parva, æque multa: æque pauca; æque bona, æque mala sint: Sic duo Viri procerae staturæ dicuntur sibi pares in magnitudine; duo Exercitus in multitudine, sive numero; Duo Viri æque docti

docti dicuntur sibi pares in doctrina.

Similia sunt, quæ conveniunt in qualitate, item actione & passione. Sic Homo est similis flori, in caducitate, quæ est qualitas; Princeps gubernatori navis, in actione; Christus vermi in passione.

CAPUT IV.

De Terminis Simplicibus Oppositis.

Imparia sunt, quæ quantitate & gradu inter se differunt.

Suntque vel Majora, quæ quantitate alia excedunt: Ut *Sol est major luna, Magister est supra discipulum.* Vel Minora, quæ ab aliis exceduntur: Ut *Avicula est minor homine, aurum virtute inferius est.*

Huc etiam refertur, quod magis vel minus probabile est: Ut, Si non intelligitis loquentem de terrenis, multo mi-

nus intelligetis loquentem de cœlestibus.

Diffimilia sunt, quæ qualitibus, actionibus, & passionibus dissentiunt: Ut Christus & Mercenarius; qui sibi in fidelitate dissimiles; Pius & palea, in mutabilitate.

Diversa sunt, quæ ratione, non subjecto, distingvuntur, *sive differunt*: Ut, Divitem esse & piū, sunt diversæ res, sive distinctæ inter se qualitates, quæ tamen in uno subjecto, Abrahamo videlicet fuerunt: Sicut Paupertas & pietas in eodem Lazaro. Grammatica & Rhetorica sunt diversæ artes, quæ tamen in uno discipulo locum habent.

Opposita in specie, sive Repugnantia, quintuplicia supra diximus: Disparata, Relativa, Contraria, Privativa & Contradictoria. *Quorum omnium unus est Canon generalis.*

Opposita non possunt tribui ei-

dem

dem Subjecto, secundum, idem si-
 ve *secundum eandem partem*; ad
 idem, siue *eodem respectu*: & simul
 h. e. *eodem tempore*. Sic Ætiops di-
 citur quidem albus, sed quoad dentes,
 non quoad cutem. Isaacus dicitur Fi-
 lius respectu Abrahami, non respectu
 Jacobi. Et potest aliquis hodie esse
 sanus, qui cras est æger.

Disparata sunt, quorum unum
 multis opponitur simul: *hisque*
diversis etiam speciebus. Ut Homo
 opponitur omnibus brutorum specie-
 bus, equo, bovi, leoni, &c. item
 plantis, ut arbori; item inanimatis, ut
 lapidi; *idque eodem modo*. Ex reliquis au-
 tem oppositis unum uni tantum op-
 ponitur. V. gr. Ex Relativis, Pater
 filio, &c.

Relative Opposita sunt Relatum
 & correlatum: *Quatenus unum*
non est alterum: Pater non est Filius,
 filius non est pater: *Quamvis unum*
sit alterius, Pater est filii pater, & Fi-

lius

lius est patris filius. Ibi ergo oppositè considerantur, hîc relatè.

Contraria sunt opposita qualitibus inter se hostiliter pugnantia: *Et de subjecto se mutuo expellentia.* Sic, Calor expellit frigus ex aqua, Frigus expellit calorem. Ex quibus *Mediata* dicuntur, quæ admittunt medium, quod de utroque participat: ut est, Calor & Frigus, inter quæ datur medius tepor.

Opposita Privativa sunt Habitus & ipsius privatio. Habitus est præsentia rei in subjecto, ut *Visus*: Privatio, est ejusdem absentia, ut *Cecitas*. Ita privative sibi opponuntur, lux & tenebræ, scientia & ignorantia.

Contradictoria sunt opposita, quorum unum rem ponit, alterum simpliciter & absolute negat. Idque expresse: ut Homo, non homo; vel implicite, ut Fur pius, qui enim Fur est, pius non est, Sic meretrix honesta

nesta, est contradictio in adjecto, ut vocant.

Testimonium est, quod rei dubiæ fidem facit, ex autoritate personæ vel rei. Unde duplex: *Personæ*, quale est tum *Divinum*, DEum habens authorem, ut S. S. tum *Humanum*, quod ab hominibus prolatum, ut à Magistratu, cujusmodi sunt Leges, à Viris sapientibus, ut dicta eorum, sive sententiæ & apophtegmata, & in genere ab Artifice quolibet in sua arte. *Testimonium rei* est; Lex naturæ, & testimonium conscientiæ, item experientia.

CAPUT V.

De Propositione.

PROPOSITIO est sententia, in qua unum de altero affirmatur vel negatur: *Ut Homo est animal. Homo non est lapis.* Dicitur etiam *Enunciatio.*

Ejus Partes sunt: *Subjectum, Prædicatum & Copula.*

Subie-

Subjectum est id, de quo Prædicatum affirmatur vel negatur: Prædicatum, quod de Subjecto affirmatur vel negatur: Copula, quâ mediante prædicatum cum subjecto disponitur.

Sic in hac Propositione: *Homo est animal*; Subjectum est *Homo*: Prædicatum *Animal*: Copula verbum Substantivum, *est*. Quæ tamen Copula non semper expresse ponitur, sed sæpe implicite, quando videlicet prædicatum est verbum: Ut *Homo loquitur*, id est, *Homo est loquens*.

Est autem Propositio I. Simplex vel Composita.

Propositio Simplex est, in qua simplici sententia unum de altero enunciatur: Ut, *omnis pius est gratus DEO*. Huic si addatur Modus, Ut, *necesse*, *possibile*, *impossibile*, dicitur *Modalis*: ut, *Necesse est pium esse DEO gratum*. *Possibile est puerum fieri doctum*. *Impossibile est negligentem*

tem fieri doctum. Ubi modus necesse, est idem, quod, *omne*; possibile, idem quod, *aliqui*; impossibile, quod *nulli*.

Propositio Composita est, cujus sententia est composita: Estque duplex: Conditionalis vel Disjunctiva.

Conditionalis est, cujus conjunctio est conditionalis: *Vt Si Parentes honoraveris, diu vives*: Hujus pars prior dicitur *antecedens*; posterior, *consequens*.

Disjunctiva est, cujus conjunctio est disjunctiva: *Vt Bellum vel legitimum est vel illegitimum*.

Hujus membra debent esse vere & immediatè opposita, non diversa, ut *Homo est vel doctus vel pius*; Nec opposita mediata; ut, *Paries est albus vel niger*. Hæ enim Propositiones verè disjunctivæ non sunt; *Doctrina enim & pietas sunt diversa, quæ in uno subiecto esse possunt*: *Albedo & nigredo sunt opposita mediata, inter quæ dantur multi colores medii, ruber, viridis.*

II. Pro-

II. Propositio alia est Affirmans, in qua subjectum cum prædicato conjungitur: *Ut, Homo est mortalis*: Alia Negans, in qua prædicatum à subjecto disjungitur; *ut Cælum non est corruptibile*. Ubi nota, Particulam negativam non ipsi Copulæ vel verbo immediate præponi debere, ut propositio sit verè negans.

III. Propositio alia est Universalis, cujus subjectum est universale; *ut, Omnis Magistratus est ordinatus à D^eo*: Alia Particularis, quæ habet subjectum particulare; *ut, Quædam Animalia sunt terrestria*.

Notæ Universalitatis sunt: *Omnis, quilibet, quicumque, nullus, nemo*: Notæ Particularitatis: *Quidam, aliqui, nonnulli, plerique*.

IV. Propositio Necessaria est, in qua prædicatum cum subjecto necessario cohæret: *Ut Animal sentit; sentire enim est proprium animalis*: Contingens, in qua contin-

B

genter

genter tantum: *Ut Homo currit, potest enim non currere.*

Necessaria est triplex: 1. de Omni, *ut Homo est bipes; hoc enim de omni homine per naturam verum est.* 2. Per se, *ut Homo est animal; genus enim speciei inest per se.* 3. Reciprocè, *ut, Homo est rationalis.* Hæc enim converti potest; Scilicet, *Omne rationale est homo.*

Propositionis Affectiones sunt tres: *Oppositio, Conversio, & Equipollentia.*

Oppositio est pugna duarum propositionum, quarum una affirmat, altera negat. Estque duplex: Alia Contraria, inter duas universales: *Ut Omnis homo est animal, Nullus homo est animal.* Alia Contradictoria, inter universalem & particularem: *Ut, Omnis homo est justus. Et, Quidam homo non est justus.*

In hac Oppositione videndum est. 1. Ut sit idem subjectum & prædicatum, & ut ambiguitas absit. 2. Ut de eadem parte intelligatur. 3. De eodem respectu. 4. De eodem tempore, ut in Terminis oppositis dictum.

Conversio est subjecti & prædicati permutatio in propositionibus, fitque I. Simpliciter, manente quantitate & qualitate eadem: Ut, Omnis homo est rationalis, Et, Omne rationale est homo. II. Per Accidens, cum quantitas mutatur; ut Omnis homo est animal; &, Quoddam animal est homo. III. Per Contrapositionem, cum mutatur qualitas, affirmans in duplicem negantem: Ut Omnis homo est animal. Et, quod non est animal, non est homo.

Equipollentia est propositio-
num verbis discrepantium in si-
gnificatione convenientia: Ut,
Non omnis homo est doctus; Et, Qui-
dam homo est doctus.

*De Syllogismi Constitutione
& Forma.*

Syllogismus est discursus mentis ex prioribus & notioribus propositionibus aliam ignotio-
riorem deducens.

Constituatur Syllogismus ex partibus & partium dispositione. Partes, ex quibus Syllogismus constat, sunt tres Propositiones: Major, Minor, & Conclusio: Et hæc iterum ex tribus Terminis constant: Majore, Minore, & Medio Terminis. Nam

Major Terminus est prædicatum conclusionis, & cum medio termino dispositus, efficit Propositionem Majorem. *Minor Terminus* est subjectum conclusionis, & cum medio termino dispositus constituit Propositionem Minorem. Quam *Conclusio*, ex minore & majore termino constans, sequitur. Ut

Omne animal sentit, Est Propositio
major.

Homo est animal, Est Propositio
minor.

E. Homo sentit: Est Conclusio.

Terminus Major est, *Sentit*, minor *Ho-
mo*, medius, *animal*; qui cum majore &
minore ita dispositus Syllogismum in
forma efficit.

Dispositio autem hæc pendet à
duobus principiis, humanæ menti
per naturam insitis; quæ sunt: *Di-
ctum de omni & nullo*; Et, *Princî-
pium proportionis*.

Dictum de Omni & Nullo est,
quo quicquid affirmatur vel nega-
tur de Universalis, id etiam affirma-
tur vel negatur de particularibus
omnibus, sub illo contentis: Nam,
quod omni competit, etiam singulis
competit. Sic, *Omne animal sentit*;
E. & Homo, & bruta omnia. Et, *Nul-
lum brutum est ratione præditum*. *E:*
nec equus, nec canis, nec ulla species
bruti.

Principium proportionis est, quo, quæ in uno tertio conveniunt vel non conveniunt, etiam inter se convenire vel non convenire dicuntur: E. gr. Si felix, & exosus mundo, conveniunt in hoc tertio, quod uterque sit pius; etiam inter se convenient, ita ut aliquis exosus mundo sit felix.

Syllogismus dividitur in Simplem & Compositum: Simplex est vel Perfectus, Trium Figurarum videlicet: vel Imperfectus, Enthymema Inductio & Exemplum.

Syllogismus Primæ Figuræ est, in quo medius terminus est subiectum majoris & prædicatum minoris propositionis.

Ejus Modi sunt quatuor, & exprimuntur his Vocibus. Barbara, Celarent, Darii, Ferio. In quibus Litera A notat Universalem affirmantem; E, universalem negantem; I, par-

ticularem affirmantem; O, particularem negantem; secundum verum:

Afferit A, negat E, sed universaliter amba.

Afferit I, negat O, sed particulariter ambo.

Exempla

In

BAr - Omne animal sentit. *Univ. aff.*

bA - Omnis homo est animal *Univ. aff.*

rA - E. Omnis homo sentit. *Univ. aff.*

In

CE - Nullum animal est lapis. *Vn. neg.*

LA - Omnis homo est animal. *Vn. aff.*

rEnt - E. Nullus homo est Lapis. *Vn. neg.*

In

DA - Omne turpe est fugiendum. *Vn. aff.*

rI - Quaedam voluptas est turpis. *P. aff.*

I - E. Quaedam voluptas est fugienda. *Par. aff.*

In

FE - Nullum honestum est vituperandum. *Vn. neg.*

rI - Quaedam mercatura est honesta. *Par. aff.*

O - E. Quaedam mercatura non est vituperanda. *Part. aff.*

Sule

Syllogismus Secundæ Figuræ est, in quo medius terminus est prædicatum utriusque, majoris videlicet & minoris propositionis. Ejus Modi sunt quatuor, his vocabulis inclusi.

Cæsare, Camestres, Festino, Baroco

Exempla

In

CE • Nullus avarus est vir bonus.

Vn. neg.

SA • Omnis verè Christianus est vir bonus. *Vn. aff.*

reE • E. Nullus verè Christianus est avarus. *Vn. neg.*

In

CA • Omnis verus amicus candide monet. *Vn. aff.*

mE • Nullus adulator candide monet. *Vn. neg.*

strEs • E. Nullus adulator est verus amicus. *Vn. neg.*

In

FE - Nullum honestum lædit conscientiam. *Vn. neg.*

AI - Quædam Voluptas lædit conscientiam. *Part. aff.*

uO - E. Quædam voluptas non est honesta. *Part. neg.*

In

BA - Omne honestum est dignum laude. *Vn. aff.*

rO - Quædam voluptas non est digna laude. *Part. neg.*

eO - E. Quædam voluptas non est honesta. *Part. neg.*

Syllogismus Tertiæ Figuræ est, in quo medius terminus est subiectum utriusque propositionis.

Ejus Modi sunt sex: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Exempla

In

DA - Omnes artes liberales sunt bonæ.
Vniv. aff.

IA - Omnes artes liberales sunt inventa humana. *Vniv. aff.*

ptI - E. Quædam inventa humana sunt bona. *Part. aff.*

In

FE - Nulla gallina est quadrupes.
Vniv. neg.

LA - Omnis gallina est bestia. *Vniv. aff.*

ptOn-E. Quædam bestia non est quadrupes. *Part neg.*

In

DI - Quædam Charitas durat in vita æterna. *Part. aff.*

IA - Omnis Charitas est virtus moralis. *Vn. aff.*

mls - E. Quædam Virtus moralis durat in vita æterna. *Part. aff.*

In

DA - Omnes Pii sunt beati. *Vn. aff.*

el - Quidam pii degunt in extremis miseriis. *Part. affirm.*

sl - E. Quidam, qui in extremis miseriis degunt sunt beati. *Part. aff.*

In

BO - Quædam bella non sunt fugienda. *Part. neg.*

cAr - Omnia bella sunt calamitosa. *Vn. aff.*

dO - E. Quædam calamitosa non sunt fugienda. *Part. neg.*

In

FE - Nulli Apostatæ sunt felices. *Vniv. neg.*

rI - Quidam Apostatæ sunt honorati. *Part. aff.*

fOn - E. Quidam honorati non sunt felices. *Part. neg.*

De his sunt hi Canones. I. In Syllogismo tantum debent esse tres termini: Omnis ergo Syllogismus, in quo sunt quatuor termini est vitiosus; Id quod dupliciter fit; *Expresse*, cum terminus aliquis mutatur; vel *Implicitè* cum *ambiguæ est significationis*, ita ut aliter accipiatur in majore, aliter in minore; ut, Vulpes est animal quadrupes, Herodes est Vulpes. E. Herodes est animal quadrupes. Hic vocabulum

B. 6

Vulpes.

Vulpes, in minore accipitur metaphoricè pro homine astuto.

II. Medius terminus non debet ingredi conclusionem, neque ejus pars. Vitiosus ergo est Syllogismus. Omnis asinus est aliud ab homine. Socrates non est aliud ab homine. E. Socrates non est aliud ab asino; Nam particula *aliud* est pars medii termini, quæ in Conclusionem additur prædicato, illudq; immutat; ita autem inferendum erat. E. Socrates non est asinus.

III. In Prima Figura, Major debet esse Universalis, minor affirmans.

IV. In Secunda Figura Major semper debet esse universalis: Conclusio cum altera præmissarum semper negans.

V. In Tertia Figura minor propositio semper debet esse affirmans: Et Conclusio particularis.

Enthymema est Syllogismus, in quo una præmissarum deest; *quæ*

autem

autem ponitur, dicitur Antecedens:
 Conclusio vero dicitur Consequens.

E. gr.

Artes Liberales animum excolunt.
 Est Antecedens.

E. Artes Liberales sunt discendæ.
 Est Consequens.

Quænam autem præmissarum desit,
 cognoscitur ex defectu Termini majoris
 vel minoris, in Antecedente; Nam
 si Major terminus desit, deest Propo-
 sitio major; si minor, deest propo-
 sitio minor.

Inductio est, quâ ex anteceden-
 te, omnia singularia continente,
 colligitur universale consequens
 sive Conclusio. Ut Vinum Hunga-
 ricum, hispanicum, gallicum, rhena-
 num, &c. calefacit. E. omne Vinum
 calefacit.

Exemplum est Inductio imper-
 fecta, quâ ex uno vel altero singu-
 lari (sive Exemplo) infertur Con-
 conclusio. Unde etiam Exemplum sive

Argumentatio ab Exemplo dicitur: ut Marius & Sylla in Republica Romana ambo summum Principatum obtinere non potuerunt. E. in Republica non possunt esse duo summi Principes.

Syllogismus Compositus est Conditionalis, vel Disjunctivus: Item Dilemma, Sorites & Prosyllogismus.

Syllogismus Conditionalis est, cujus Propositio major est conditionalis.

Ejus Modi sunt duo. 1. Ponere Antecedens, ut ponatur Consequens. 2. Tollere consequens, ut tollatur antecedens.

Exemplum prioris est.

Si testudo sentit, est animal.

Atqui testudo sentit. E. est animal.

Exemplum posterioris est.

Si planta est animal, sentit.

Sed planta non sentit. E. non est animal.

Syllogismus Disjunctivus est,
cuius

cujus Propositio major est disjunctiva.

Ejus duo sunt Modi. 1. Pone-
re unum, ut tollatur alterum. 2.
Tollere unum, ut ponatur alte-
rum.

Exemplum prioris est.

Aut dies est, aut nox est.

Atqui dies est. E. Nox non est.

Exemplum posterioris est.

Homo aut sanus est, aut ægrotat.

Atqui non ægrotat. E. est sanus.

Dilemma est, quo per propo-
sitionem disjunctivam ita constrin-
gitur adversarius, ut sive hanc sive
illam partem eligat; elabi tamen
non possit: *Idque propter incommo-
dum sive periculum utrique parti ad-
junctum*: Ita Christus hanc quæstione
constringit Judæos; Baptisma Johan-
nis aut à cælo est aut ab hominibus:
Cui utriusque adjunctum erat incommo-
dum. Nam si dixissent à Cælo, respon-
disset Christus, cur ergo non credidistis

ei?

ei? si dixerint, ab hominibus; lapidasset eos populus. E. ut hæc incommoda declinarent, neutrum dixerunt.

Sorites est subordinatio plurium propositionum, in qua prædicatum antecedentis fit subiectum sequentis, donec tandem prædicatum ultimæ propositionis cum subiecto primæ in Conclusione jungatur: Ut

Quos DEUS præcognovit, eos prædestinavit.

Quos prædestinavit, eos vocavit;

Quos vocavit, eos justificavit,

Quos justificavit, eos glorificavit.

E. Quos DEUS præcognovit, eos etiam glorificavit.

Prosyllogismus est, cum præmissis additur ratio probans, sive alius medius terminus: Ut; Quicquid habet animam rationalem, est homo; *quia cui tribuitur forma ei & formatum.* Pygmæi habent animam rationalem. E. Pygmæi sunt homines.

CA-

CAPUT VII.

De Syllogismi Materia.

MAteria Syllogismi est quæstio, sive propositio probanda: Et, Ratio sive Argumentum probans, quod est Medius terminus. Et hæc duo *Argumentationem* constituunt; atque ex dispositione medii termini cum subiecto & prædicato quæstionis formatur Syllogismus. Sic, Homo est animal. Est quæstio; (sive propositio probanda) Ratio sive medius terminus est, quia *sentit*, qui cum partibus quæstionis dispositus efficit Syllogismum hoc modo. Omne sentiens est animal. Omnis homo sentit. E. omnis homo est animal.

Medii termini autem Connexio sive Nexus cum subiecto & prædicato quæstionis, parit omnem Probationem, hoc modo:

I. Ex Terminis Relatis, per hunc Canonem: Posito uno Termino
relato

38 DE SYLLOGISMI MATERIA,

relato ponitur alter : & sublato tollitur. Relata enim sese mutuo ponunt & tollunt.

II. Ex Terminis Oppositis vero per hunc Canonem : Posito uno oppositorum , tollitur alterum : Quia unum oppositum à subjecto excludit alterum.

Ex his duobus Canonibus generalibus deinde formantur omnes Canones speciales , probationem dirigentes : Ex quibus aliquot unam cum exemplis hic adducemus. V. gr.

Ex Canone Terminorum Relatorum, hoc modo : *Posita causa ponitur effectus.* Ut, In hac Civitate habitant multi pannifices. E. multi panni ibi conficiuntur. Et, *sublata tollitur* : ut, Nul- li cupediarii hic habitant. E. cupediæ hic non parantur. *Posito subjecto ponitur adjunctum.* Ut, Est Juvenis E. impro- vidus ; Et, *sublato tollitur* ; ut, Non est ip- sius Tutor, E. non tenetur habere ip- sius rationem. *Posito Antecedente ponitur*

consequens: ut Arbor floret. Ergo feret fructus. Et, *sublato tollitur*. Ut, non floret. E. fructus non feret. Et sic per reliquos Terminos relatos omnes argumentari licet.

Eodem modo à Termino Correlato argumentamur: E. gr. *Posito effectu ponitur causa*. Ut, Contraxit febrem. E. intemperanter vixit. Et, *sublato tollitur*; ut, Non miseretur infantis. E. non est ejus mater. *Posito adjuncto ponitur subjectum*; ut Christus remittit peccata. E. est DEus. Et, *sublato tollitur*; ut, Non trahit ferrum. E. magnes non est. *Posito consequente ponitur antecedens*: ut Lazarus est sepultus. E. verè est mortuus. Et, *sublato tollitur*; ut, Nondum illuxit. E. aurora orta non est. Et sic in reliquis.

Ex Canone Terminorum Oppositorum in specie sic argumentamur: *Posito uno disparatorum tollitur alterum*: ut, Homo sum. E. non sum lapis. sive insensibilis ut lapis. *Posito relato tollitur correlatum*. Est Dominus. E. non est servus. Sic Pontifex M. est Do-

40 DE SYLLOGISMI MATERIA.

minus dominantium. E. non est Servus servorum. *Posito uno Contrariorum tollitur alterum.* Aqua est frigida. E. non est calida. *Posito habitu, tollitur privatio.* Ut, videt. E. non est cæcus. Est filius lucis; E. non ambulat in tenebris. *Posito uno Contradicente, tollitur alterum.* Ut, Fur est. E. non potest dici pius. Nam esse pius & esse furem, implicat contradictionem.

Nexus autem ille, sic pariens probationem, est duplex: Necessarius, qui probationem sive argumentationem parit necessariam & demonstrativam: vel Contingens, qui contingentem & probabilem tantum. Est autem

Necessaria argumentatio quando medius terminus est argumentum proximum, adæquatum, & proprium: ut, Testudo sentit. E. Testudo est animal. *Sentire enim est proprium animalis.* Dicitur in specie *Demonstratio.*

Con-

Contingens argumentatio est, quando medius terminus est argumentum remotum, inadæquatum & commune: Ut, In Polonia sunt multæ sylvæ. E. ibi ædificantur multæ naves & plures quam alibi; Non statim sequitur, quia sylvæ & ligna sunt causa navium remota: Requiritur enim causæ propiores, sive Architekti navium, quorum plures in Belgio in ædificandis navibus laborant, quam in Polonia. Est Senex; E. est morosus: non statim sequitur; morositas enim est adjunctum; senis commune, quod scilicet cum aliis etiam commune habere potest, unde etiam juvenes nonnunquam dantur morosi.

Hic Nota. *Nexus necessarius*, quando scilicet medius terminus cum subjecto vel prædicato quæstionis cohæret necessario, h. est, tanquam argumentum proximum, adæquatum aut proprium, est *medium confirmandi* omnem probationem per Canones speciales factam: Sicuti è contra, *Nexus Contingens* est *medium*

dium *refutandi* & *refellendi* omnem probationem, si scilicet argumentum sit remotum, inadæquatum & commune. Id quod omnis *Disputationis* est *Fundamentum*. Hæc *Docenti*.

CAPUT VIII.

De Syllogismo vitioso, sive Fallacia, & Methodo.

Fallacia est Syllogismus Vitiosus, ratione formæ, vel materiæ, à legitimo & bono recedens. Estque duplex: In dictione, vel extra dictionem.

Fallacia in Dictione est quintuplex: I. Homonymiæ, cum ambiguitas est in voce. II. Amphibologiæ, cum ambiguitas est in phrasi. III. Compositionis & Divisionis, cum componenda sejunguntur, & sejungenda componuntur. IV. Accentûs, cum lusus est in litera, quantitate syllabæ, vel casu.

casu. V. Figuræ dictionis, quando res diversorum prædicamentorum confunduntur.

Sic ergo *Fallacia Homonymiæ* est in hoc: Canis est Sydus cæleste; Canis est animal. E. Sydus cæleste est animal. Hic ambiguitas est in voce *canis*. *Fallacia Amphibologiæ* est in hoc: Qui lavat Æthyopem, hominem perfundit aqua. Qui Æthyopem lavat, operam perdit. E. qui operam perdit, hominem perfundit aqua. Hic ambiguitas est in phrasi, *Æthyopem lavare*. *Fallacia compositionis & divisionis* est in hoc: Catullus est poëta, & est malus. E. Catullus est *malus poëta*. *Fallacia Accentiûs* in hoc. *Equus* est animal quadrupes. Hic Consul est *æquus*. E. hic Consul est animal quadrupes. *Fallacia Figuræ Dictionis* est: Mus rodit caseum; Mus est syllaba. E. syllaba rodit caseum. Hic *Mus* in maiore significat animal, quod est substantia, in minore vocem, quæ est accidens, idque in prædicamento quantitatis. In his ergo omnibus *Fallaciæ* speciebus semper sunt quatuor Termini.

Fallaciæ

Fallaciæ extra Dictionem, sive in rebus, sunt septem. I. Fallacia Accidentis, cum rei aliquid tribuitur per se, quod ei convenit per accidens: ut, Quod inebriat, est fugiendum. Vinum inebriat. E. est fugiendum. Vinum enim inebriat *per accidens*: nimirum immodicè sumptum.

II. Fallacia à dicto secundum quid, quando, quod ex parte rei convenit, ei tribuitur absolutè: ut Qui minor Patre, non est verus DEUS. Christus est minor Patre. E. non est verus DEUS. Christus enim est minor Patre tantum *secundum humanitatem*.

III. Fallacia consequentis, quando consequens cum antecedente non cohæret necessario, *sed contingenter tantum, sive accidentaliter*: ut, Hic noctu vagatus est circa domum. E. est Fur. Inter hæc nulla est connexio necessaria; potuit enim aliis de causis circa domum circumire; nulla ergo consequentia.

IV. Peti-

IV. Petitio Principii, cùm idem per idem probatur, & *quod in quæstione est, concluditur.* Ut; Quicquid circumagitur, illud movetur. Terra circumagitur. E. Terra movetur. Id ipsum enim in quæstione est, utrum terra circumagatur.

V. Fallacia non causæ ut causæ, cum medius terminus vera causa non est, sed *per accidens, aut remota*: Ut, Quicquid decipit, est fugiendum. Philosophia decipit. E. est fugienda. Philosophia enim est *causa* deceptionis *per accidens*, in iis scilicet, qui eadem abutuntur.

VI. Fallacia plurium interrogatorum, cùm ad diversa quæsitæ petitur unum responsum, *ad quæ ergo distincte respondendum*: Ut, Si quis quærat: Utrum bona opera sint necessaria ad salutem, & à DEO præcepta: Distincte respondendum, quatenus videlicet ad salutem necessaria sint, ut adjunctum fidei inseparabile

videlicet, & quomodo à DEO præcepta,
ut fructus fidei scilicet à nobis requisi-
tus.

VII. Ignoratio Elenchi, cùm
conclusio adversarii nostræ quæ-
stioni non directe opponitur, unde
de status controversiæ mutatur: Ut,
Si quæstio sit; An Logica sit ars; Et
contra eam probetur: Logicam non es-
se scientiam; hoc nihil facit ad rhom-
bum: non enim quæritur, an Logica
sit scientia, sed an sit ars? Et in his
Fallaciis etiam semper sunt quatuor
Termini.

Methodus denique est ratio res
omnes convenienti ordine dispo-
nendi: Procedendo videlicet à gene-
ralibus ad specialia, à simplicibus ad
composita.

Idque in *Tractatione Thematicæ*, tum Sim-
plicis, quale est Homo: tum Conjun-
cti, quod est Sententia, vel quæstio,
ut Homo est conditus ad Imaginem DEI, quæ
Tractatio per Terminos simplices, su-
pra enumeratos, instituta dicitur *Genesis*:
Sicuti

Sicuti Thematis jam ante ab Authore tractati resolutio dicitur *Analysis*.

EPILOGUS.

Hæc Idea siue Epitomes Logicae aliam adhuc Epitomen, sicque brevissimam dedimus: Eo consilio, ut Superiores in Tertio Ordine ad Lectionem Logicam in Secundo Ordine prepararentur: Sola videlicet præcepta, unâ cum uno vel altero exemplo, memoria mandando, universæ interim doctrinae Logicae summam mente simul comprehendendo; quam succedens deinde in Secundo Ordine uberior explicatio & per plura exempla declaratio feliciter augeat & confirmet. Et quanquam in hac Isagoge ipsa præcepta rudiore etiam minerva tradere potuissemus, maluimus tamen eadem ubique verba & definitiones retinere, ne ex aliqua præceptorum

muta.

mutatione ad Ideam deinde transitus.
 ris aliqua difficultas oboriretur, tan-
 quam alia eis & nova addiscenda fo-
 rent; sicque studia pueritiae confunde-
 rentur; praecipue cum ipsa etiam praec-
 eptorum difficultas in primis illis
 Logicae Elementariis successu tempo-
 ris & per repetitionem emolliatur.
 Ut ego Omnia in Juventutis bo-
 num instituta quam optime cedant,
 ex animo vovemus.

Errata.

Seu potius Defectus, qui praetervi-
 si, ita supplebuntur.

Pag 12. Lin. 20. post vocab. Definitum adde.
 Explicatur autem per genus & diffe-
 rentiam, specificam praesertim.


Pag. 21. Post Lin. 18. adde. In qua Pro-
 positione hujusmodi nota non est, di-
 citur Indefinita; Ut, Homo est mortalis: In
 qua autem Subjectum est singulare sive
 individuum, dicitur Singularis: Ut, Ari-
 stides fuit justus.


SOLI DEO GLORIA.

~~IV A 194~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 194.

SIGNAT. CLDCCCXIII.





ELEMENTA
DOCTRINÆ
LOGICÆ

IN USUM

TERTIÆ CLASSIS

GYMNASII BRIGENSIS.

BRIGÆ,
Typis Johannis Christophori Jacobi
ANNO M. DC. LXXIV.

